



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 9011888X

§. 36. Principum atque Illustrium decessus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67406)

& Mariam Annam Archiducissam aqua Sæc. XVII.
 vitali abluit. Inter tot terrenarum di- A. C. 1636.
 gnitatum fastigia Franciscus nunquam
 ampliandi cultus Divini curam depo-
 suerat; plurima quippe Tempa vel a
 fundamentis erexit, vel splendidiora
 reddidit, aut proventibus, donisque
 auxit, multaque domicilia PP. Capuc-
 cinis suo ære ædificavit. Demum ma-
 gis pietate, quam purpura & auro ful-
 gens, postquam hoc anno die decima
 octava Augusti, quæ Mariæ Reginæ
 natalis erat, Viennæ Sacrum solemne
 celebraverat, Olmutzium reversus, ibi-
 dem lethali corripiebatur morbo, inde
 tamen Brunam delatus, die decima
 nona Septembris supremum obiit diem,
 in Olmutzensi Ecclesia Cathedrali
 sepultus.

§. XXXVI.

Principum atque illustrium decessus,

Inter celebriores illius ævi Principes
 eodem anno obiere Joannes Alber- Khevenh. l. c.
 tus I. Dux Megapolitanus, & Raze- p. 2070.
 burgensis Episcopi Coadjutor necnon Jæger.
 Augustus senior Brunsvici & Lune- Hist. Eccl.
 burgi Dux, quorum prior exuto Lu- p. 567.
 thero Calvinum induit, a suis tamen Brachel.
 Proceribus eo compulsus, ut circa Lu- Hist. l. 5.
 theranæ sectæ usum nihil in suo Du- p. 262.
 catu
Hist. Eccles. Tom. LX.

Sæc. XVII. A. C. 1636 catu immutare auderet: cum autem sese Cæsaris hostem declararet, ab eodem proscriptus, Ducatum suum Walensteinio relinquere coactus est, in quem tamen a Gustavo Sueciæ Rege revocatus fuit. Decessit anno ætatis suæ quadragesimo quinto: Alter erat Princeps animi magnitudine, reique militaris scientia præstans, qui Razeburgensis Pseudo - Episcopus eujusdam civis sui filiam duxerat, a Suecis dire vexatus, eoquod Pragensi paci accessisset: obiit repentina morte die decima Octobris, annos natus sexaginta octo. Pari fato vivis ereptus est Antonius Tholosa natione Gallus Magnus Ordinis Melitenis Magister. Hic quatuordecim omnino annis summo Religionis studio, ac immortalis gloria supremam Ordinis sui Præfecturam usque ad annum ætatis suæ octogesimum quartum gessit, cui Joannes Paulus Lascari Niciæ ortus successit. Occubuit quoque die decima quarta Junii hoc anno plumbea glande trajectus ad Fontanettam, nullius ferme nominis propugnaculum Mediolanense, magnus ille Thorasius, multis contra Anglos & Cæsareos præliis, victoriis, rebusque præclare gestis inter Gallos Belliduces clarior, quam morte fortunatior.

§. XXXVII.